

T12

Favole II, 5

## L'imperatore e il servo zelante

Est ardalionum quaedam Romae natio,  
trepide concursans, occupata in otio,  
gratis anhelans, multa agendo nihil agens,  
sibi molesta et aliis odiosissima.

- 5** Hanc emendare, si tamen possum, volo  
vera fabella: pretium est operae attendere.  
Caesar Tiberius cum petens Neapolim  
in Misenensem villam venisset suam,  
quae monte summo posita Luculli manu
- 10** prospectat Siculum et respicit Tuscum mare:  
ex alticinctis unus atriensibus,  
cui tunica ab umeris linteo Pelusio  
erat destricta, cirris dependentibus,  
perambulante laeta domino viridia,
- 15** alveolo coepit ligneo conspargere  
humum aestuantem, come officium iactitans,  
sed deridetur. Inde notis flexibus  
praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.  
Agnoscit hominem Caesar remque intellegit.
- 20** Id ut putavit esse nescio quid boni:  
“Heus!” inquit dominus. Ille enimvero adsilit,  
donationis alacer certae gaudio.  
Tum sic iocata est tanta maiestas ducis:  
“Non multum egisti et opera nequiquam perit:  
**25** multo maioris alapae mecum veneunt”.